



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

dum, in fine tamen mundi ad Christum convertendi.

ψ. 11. *Nōne tu Deus, qui repulisti nos? & non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Respondet interrogationi factæ. Tu solus Deus deducere potes nos in civitatem munitissimam Idumææ: sicut enim, te repellente, & deserente, vincebamus: ita te solo præsentem, & juvante vincemus, non fisi viribus exercituum nostrorum, sed tuâ solius omnipotentissimâ virtute

ψ. 12. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*

Ergo tu, in quo solo confidimus, da auxilium, quo de omni tribulatione, & angustia liberemur, quia vana est salus, quæ ab hominibus expectari potest.

ψ. 13. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

In Dei auxilio confisi, fortiter agemus: & ipse erit, qui ut principalis author per instrumenta manuum nostrarum profligabit omnes, qui nos tribulant. Vel maximè in solo Deo fidendum est, dum Ecclesia pugnat contra hæreticos, schismaticos, Ethnicos, Judæos, & contra spiritualia nequitia in caelestibus, Eph. 6.

PSALMUS LX.

Titulus: *In finem, in hymnis David.*

Argumentum est *Oratio hominis justî, sive*

*sive Ecclesia Christiana in peregrinatione inter-
tentationes varias laborantis, & ad patriam
Caestem, & quietem perpetuam anhelantis.*

ψ. 1. *Exaudi Deus deprecationem meam,
intende orationi mea.*

Præfatio brevissima hæc est, quâ vir justus, seu
populus Christianus petit audientiam à Deo, ut
exaudiat deprecationem suam, & eam benignè
consideret.

ψ. 2. *A finibus terra ad te clamavi, dum
anxiaretur cor meum: in petra exaltasti me.*

Non est vox Davidis, qui nunquam fuit exul
in finibus terræ, nec captivus ductus; sed Eccle-
siæ vox est: Ego propagata usque ad fines terræ,
ex ipsis finibus, h. e. ex toto orbe simul per vo-
ces membrorum meorum ad te clamavi. Addit
rationem, cur cum magnâ fiduciâ clamet ad De-
um: dum aliàs non rarò *anxiaretur cor meum*
ob varias tentationes, deprimentes me: tu cla-
mantem exaudisti, & in altissimo, & munitissi-
mo loco collocasti; quem locum ψ. seq. vocat
turrim fortitudinis. Hæc petra sublimis est
Christus, in quem quicumque per contemplatio-
nem exaltatur, & quanta ipse prior passus sit, &
quem exitum passiones ejus habuerint, diligen-
ter recogitat, facilè vincit, & contemnit omnia.

ψ. 3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea,
turris fortitudinis à facie inimici.*

Declarat illud: *in petrâ exaltasti me.* Cùm ab hoste tentationibus impugnarer, Dux mihi fuisti, implendo me bonâ spe, quæ fecit, ut non caderem, sed magno animo omnia tolerarem. Qui confidit in Deo, & recogitat Christi passionem, gloriosam resurrectionem, quem velut caput nostram intuendo, discimus, quid hîc agere, & pati, quid in cælo expectare, & desiderare debeamus; ille utique turrim munitissimam ascendit, ubi & tela hostium vitare, & in hostes tela jaculari poterit.

ψ. 4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sacula, protegar in velamento alarum tuarum.*

In turri illâ fortitudinis inhabitabo tanquam peregrinus in tabernaculo; & interim protegar à te, ut pullus sub alis gallinæ, ne mordear à milvis.

ψ. 5. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.*

Ratio fiduciaæ meæ est, quia tu Deus semper exaudire consuevisti orationem meam: nam inter filios tuos numerasti me, quibus hæreditatem jam dedisti, h. e. firmiter promisisti: si enim Deus timentibus se filiis hæreditatem æternam servat, quomodo non eos proteget, & clamantes ad se exaudiet?

ψ. 6. *Dies super dies Regis adjicies: annos
ejus*

ejus usque in diem generationis, & generationis.

Quia Propheta meminit hæreditatis Sanctorum, quæ est vita æterna, declarat hanc hæreditatem toti Ecclesiæ promissam, inchoandam esse in capite. Christo Regi multiplicabis dies super dies, sinè fine; item annos ejus multiplicabis usque in diem æternitatis; qui dies, licet unus sit, tamen æquivalet generationi, & generationi, sæculo, & sæculo, temporibus, & temporibus sinè fine.

ψ. 7. *Permanet in aeternum in conspectu Dei: misericordiam, & veritatem ejus quis requireret?*

Rex Ecclesiæ Christus *permanet in aeternum in conspectu Dei*: ad hoc enim *introiit in Cælum, ut appareat vultui Dei pro nobis*, Hebr. 9. Misericordiam, quâ redemit genus humanum, & veritatem, quâ promissa servavit, & servat, quis investigabit? sunt enim abyssus multa. Eph. 3.

ψ. 8. *Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: ut reddam vota mea de die in diem.*

Quia misericordia Christi tam abundanter adest, & veritas ejus tam certa est, ut non sit opus eam requirere, hymnis meis laudabo te Deum jam, & in æternum, ut ita reddam vota gratiarum actionis omnibus diebus præsentibus, & futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedet.